

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0458

Sabato 21.06.2014

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale al 25° anniversario della ritrovata libertà dell'Eparchia greco-cattolica di Mukachevo (Seminario Maggiore di Uzhhorod, Ucraina, 28 giugno 2014)

In data 7 giugno 2014, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Jozef Tomko, Prefetto emerito della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, quale Inviato Speciale del Santo Padre al 25° anniversario della ritrovata libertà dell'Eparchia greco-cattolica di Mukachevo, in programma presso il Seminario Maggiore di Uzhhorod (Ucraina) il 28 giugno 2014.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Pavlov Sabov, già parroco delle parrocchie di Strypa e Jarok ad Uzhhorod; attualmente sacerdote collaboratore nella Cattedrale di Uzhhorod;
- Rev.do Vasyl Chvasta, parroco della chiesa *Della Misericordia Divina* ad Uzhhorod e Sincello per i Laici.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Francesco all'Em.mo Card. Jozef Tomko:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
IOSEPHO S.R.E. Cardinali TOMKO
Congregationis pro Gentium Evangelizatione Praefecto emerito

Munkacsensis communitas ecclesialis grato animo viginti et quinque celebrat annos a recuperata libertate. Dilecti istius gregis pastores et fideles, inter quos illi etiam adsunt qui vexationem in Ecclesiam experti sunt atque pulcherrimum fidei dederunt exemplum, memoriam huius eventus recolunt atque in Evangelii semitis novis in circumstantiis novoque cum ardore progredi volunt. Quaedam etiam animadvertisuntur pastoralia incepta, quae haec Ecclesia particularis suis proponit fidelibus omnibusque hominibus bonae voluntatis, ut omnes clare videre possint quomodo religio christiana historiam istius regionis sit comitata.

In fine huius mensis Iunii, ob rationes significatas, sollemnitas apud Seminarium Maius in *Uzhhorod* celebratio agetur, quae gratitudinis videlicet erit signum erga Deum omnipotentem ob tanta Eius beneficia saeculorum decursu toti huic ecclesiali communitati oblata.

Venerabilis igitur Frater Milanus Šášik, C.M., Episcopus Munkacsiensis, actuose gregem ritus byzantini sibi concreditum moderans, humanissime a Nobis quaequivit ut aliquem eminentem virum mitteremus, qui Nostras vices ibi posset gerere Nostramque erga fideles ibi adstantes dilectionem manifestare. Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione olim praefuisti quique fidelium Ucrainae condiciones novisti et difficultates, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad sollemnem, iam memoratam, celebrationem die XXVIII huius mensis lunii in *Uzhhorod* agendam, in liturgica videlicet memoria Translationis reliquiarum beati Theodori Romža, episcopi et martyris, qui ob indefessam fidelitatem erga Ecclesiam palmam gloriosam assequi meruit.

Omnes adstantes sermone tuo ad diligentiores usque Christi vitae imitationem cohortaberis: decet enim ut novis viribus novaque diligentia peculiarem dilectionem Evangelii et Ecclesiae demonstrent atque fidei virtute cotidie ardeant.

Rogamus Te etiam ut nomine Nostro omnibus ibi congregatis salutationem afferas, Episcopo praesertim Munkacsensi ceterisque sacris Pastoribus, presbyteris, religiosis viris ac mulieribus, christifidelibus laicis. Exoptamus denique ut verba Nostrae benevolentiae etiam ad civiles auctoritates extendas et ad omnes qui Ecclesiae missionem, libertatis religiosae notionem atque sincerum personae humanae bonum studiose considerant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis lunii, anno MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

FRANCISCUS PP.

[01039-07.01] [Testo originale: Latino]
